

Letter 194: 4 May 1524, Strasbourg, Capito to Ambrosius Blaurer

This letter is printed in Schiess I, 104-107 (# 75). The manuscript is in the Universitätsbibliothek Basel, ms. Ki. Ar. 25a, #82.

Gratia et pax Christi. Dum inter nos hodie, apud Zellium convenissemus, commodum egresso Hedione, meque iam egressuro, tuae cum aliis amicorum literis redduntur, quas coram resigno, aperio, lego, et pleraque palam, nimirum quod omnium ut scirent, interesse putarem. Tuas autem, mi Blaurere, vix dicere queo, quanta omnes exceperint adlubescencia, non tam quod elegantes
 5 erant, qui elegantiae sermonis paulo neglectiores sumus, quam quod singularem speciem pietatis praeberent profitentis nimirum pure ac simpliciter, atque argute nos cohortantis ad diligentiam aliquanto acriorem, quam certe exacuis obliquo isto ductu facillimae dictionis. Nam quid aliud quam cohortatio est, quod ais, vos agere gratias propter quod nos in communionem Evangelii venerimus adeoque quod iam simus exemplo omnibus liberis civitatibus. Talibus eulogiis
 10 nostram incitas tarditatem. Vis persuadere, bonum praebeamus odorem iis qui foris sunt. Nostrum erit itaque praecari Christum, efficiat in nobis ne frustra videaris cohortatus. Verum quod in nos machinetur inimicus [?], quanta Deus nos clementia prosequatur, et quae nostra sit imbecillitas, non verebimur paucis indicare, quae omnia clare perspicies, postquam scies quae acciderint a discessu Zwicci, praesertim insigniora, nam singula persequi foret nimis prolixum,
 15 cum rare [dies] sine novis insidiis praetereat.

Episcopus Argentinensis primae autoritatis est, quam tuetur dexteritate quadam in rebus agendis uti in ecclesiastico rara et singulari. Ad haec sibi aliquis esse videtur, et nihil iniquius fert quam se negligi. Iam vero crescente Christo suae putat opinioni fieri detrimentum, quod hinc cadit inanis formido de episcopali stomacho terribilis quondam, dum stultitia et error vulgum
 20 possideret. Is negotium fecit maritis sacerdotibus, quos pro templis devovit palam diris [?], idque cum omnia tuta sperassemus. De industria enim quiddam placiditatis prae se tulerat, ut sic incautos et, quod aiunt, in utramque aurem dormientes opprimeret. Summa consilii fuit inter se cives committere, dum pars fulmen istud episcopale horrerent, pars magnifice contemnerent. Sub idem tempus a senatu per dolos canonici apud Divum Petrum impetrarunt, ut a parrochia illorum
 25 providenda me abstinere iuberent. Preterea via instituta fuit, qua maritos fratres ex urbe deturbandos omnes putassent, inprimis autem Butzerum. Subornatus est comes de Lyningen senior, qui mihi praesenti toties [vim] inferre tentaret dictis prius in os multis contumeliis atrocissimis idque intra urbem, intra aedes papistici praelati. At nos omnibus his periculis Christus eripuit, nam ubi episcopus excommunicationem publicasset, nos intra eandem noctem
 30 appellationem fratrum nomine effinximus. Postridie appellatum est praesente notario; mox excusa omnia praestiterunt. Quo remedio populus ne quid super excommunicatione disceptaret, cavimus. Expectarat enim nostram in se vicissim sententiam episcopus, qua se cum complicitibus damnaremus, quod ad manifestam desiisset seditionem. Talia sunt ingenia, hae artes episcoporum, tranquillos inter se committere. Quarto die eius hebdomadae mihi per senatum
 35 parrochia renunciatur, qui mihi videbar senatus autoritate pridem ingressus. Statim fit rumor eiiciendos verbi praecones, concurritur, quiritatur, incusantur vulgo sacerdotes, iaciuntur conv[i]tia etiam in senatum, sed ab extrema tantum plebe. Proceres aliqui a minis aegre temperabant, quin sacerdotibus pessima quaeque, si nos excludi contingeret, denunciarent. Tot rebus simul conclusis tamen adnitor omnia expedire. Do negotium, quos gratiosos populo noram,
 40 verbis tranquillis plebem ab inquietudine contineant; me esse curaturum apud senatum, ne quid evangelio decedat, nec rem tam esse deploratam, ut imperitis videri possit. Rescindi saepius levi

momento sententias aequiores et perspicuum satis, curtisanos tanti non haberi, ut illorum gratia
 senatores velint posthabere suos cives in causa tam pia atque alia id genus, quibus incensa studia
 paulisper continuimus, quoad super certioribus consiliis despiceremus. A consilio igitur agendi
 45 apud senatum facultatem impetro. Statuitur dies Sabbati. Interea ecce nova tragoedia. Capitulo
 meo S. Thomae datur spes, uti ferebat[ur] a senatu, Butzerum non fore curatum apud templum
 Aureliae – templum istud est de provisione, ut vocant, capituli nostri – quod maritus. Ibi cura
 mihi opus fuit, ne quid hinc incommodi. Porro comes de Lyingen crudelia magis commovit, sed
 aliunde, ut videtur, incitatus. Nam ut eram causa conficiendae componendaeque litis ad illum
 50 admandatus die Iovis eius septimanae, placide satis respondit et rem produxit in diem posterum.
 Iterum me sisto intra curiam domini ab Hennenberg. Tam ille mox iracunde multa, domino
 odium cum nepote et tota familia inspectante, infandis contumeliis petitum et clamoribus furiosis
 audiendes [?] defatigatum interficere admolitus est nemine omnium prohibente, quoad me Deus
 tandem eriperet. Periculum, mihi crede, fuit anceps, sed praeter animi formidinem. Vultum non
 55 mutavi, iisdem fortiter vestigiis inhaesi recordatus in eodem [?] articulo capillos capitis mei
 omnes esse numeratos, casurum aut evasurum, ut patri visum esset, qui filio nihil incommode
 velit, nequaquam velit ille, posse quicquid incommodius accidere. Appetebat Sabbatum. Magna
 cum libertate ago cum senatu dilutis adversariorum argumentis, quae coniicere oportuit. Tantum
 erat omnium silentium, ut fit, dum quisque sibi a depl[or]ata causa cavet. Deliberarunt itaque in
 60 horam prope quintam neque sine Deo deliberarunt. Nam qui nudiusquartus parochia me
 abdicarant, illi iidem iterum addicunt ad natalem usque Ioannis Baptistae; nam aliter mihi addicta
 non erat. Praeterea convenerat de parochiis omnibus Christiane providendis, necdum parochiis
 potiti sumus necdum eluctati sumus, ut libere ab adversariis Christum liceat asserere. Mira
 mutatio: curtisanis, qui missis undique literis nos pridie expulsos gloriati sunt, vultus nigrore
 65 concidit. Piis ex desperatione mens erecta, civium et senatus concordia facta, quae tamen revera
 necdum dissuta fuerat. Propter excommunicationem episcopalem nemo sacrificulus, nulla mulier
 comota est. Tam commode cecidit appellatio. Senatus agit mei causa cum comite, neque aliud
 captamus quam utcunque diluerim obiecta crimina. Omnia mihi salva, sed inquieta satis etiam
 post fatalem illam septimanam, in quam tanta negotia simul inciderunt. Iam expectamus
 70 interdictum, edictum nomine imperii, bannum Caesareum, vim cacodaemonis universam, quae
 spero inania concident et in nervum erumpe[n]t. Nam propius, si perget, cum episcopo agemus,
 siquidem ultima experturus videtur, et nos ceu cum devoto hoste decernemus.

Haec satis prolixè. Cuperem tamen coram prolixius omnia, verum me hic remoratur
 expectatio technarum episcopalium et parochiarum incertitudo, quibus intra natalem Ioannis
 75 providebitur. Ad epistolam tuam propius. Zwiccus te praedicavit benignissime, sed es maior ex
 tua epistola, quam illius praedicatione, tam elegans, tam pura, tam pia est, quam facile, si non
 superat certe aequat *Paraenesis Germanica ad Senatum Constantiensem*, quam post literas,
 mirabundus legi. Quod si ad verbum dicendum te dimitteres, quid praestares obsecro? Neque est
 quod iures, ceu parum suffecturus causaris [?]. Sub tali provincia nemo vocatus deficiet, cum
 80 divinitus adiuvetur. Gaudeo denique ausuros vos innovare foris, quae verbo in cordibus piorum
 instaurata nostis. Nam evanescit Spiritus, si quae asseverat, cessas re praestare, etiamsi
 contatione tua magnum nobis argumentum praebes incomparabilis tuae prudentiae. Nobis tamen
 hic multa praeter spem, praeter consilium acciderunt, alioque prospiciendi moram ego
 nesciissem, qui humanis coniecturis in rebus fidei nimium prope tribuo. Profuit inquam, a
 85 Matheo praesertim, totam sentinam abominationis pontificiae motam, me inscio. Nam
 posteaquam rescirem, exploratis auditorum animis, facile animadverti, eo loci nos redactos, ut
 necesse esset, aut progredi fortiter, quamvis exitum praevidere non potuimus aut referre gradum

non sine deiectione piorum, qui frigent, qui enecantur, ubi nos duces languere senserint. Perge
igitur bonis avibus et auspice Christo. Sine Deo enim praesente nihil moliri continget. Vidi heri
90 fratris tui Thomae epistolam, ut auguror. Suscripta est: adolescentis Constantiensis ad
consobrinum suum. Cuius gustus Blaurerianam eloquentiam, hoc est, facilem et subtilem
arguebat. Eum iubeas, oro, verbis meis, cum doctissima sorore salvere plurimum, cuius nomen
hic perquam insigne est. Egregia domus, quae tantis dotibus abundat. Amicos omnes salutabo,
horum nomine, ego, qui sciam, quam te observent, resaluto te plurimum. Sed et comistas verbi
95 tuos, nostro omnium nomine iubeas salvere et feliciter pergere in Christi negotio. Et nobis de
rebus vestris participes. Hedioni tuas necdum legi, qui in apparandis nuptiis occupavit, sed ante
noctem curabo ut legat. Argen. 4 Maii anno 1524.

Capito tuus ex animo.